

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis  
Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Clarissimo uiro, D.Christophoro Pannonio,amico suo charissimo, S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](#)

stantem uiator Iacob, ut ipse uulnera nostra sanet,  
 et non sinat fieri maiores distractiones Ecclesiarū.  
 Multas iniurias etiam propterea disimulo, cūm mi-  
 hi non desint arma. Vos etiam adhortor, ut incly-  
 tum Principem Electorem Marchionem oretis, ne  
 sinat edi scripta, quae sint classica nouarum dif-  
 fisionum. Si noster cursus est ex Deo, non uincet ca-  
 uillationes futilis, ut multæ nobis obiectæ sunt mul-  
 tis annis. Deo iuuante redibo Vuitebergā ante Ca-  
 lendas Ianuarij. Sed de mittendis filijs expectate  
 meas literas. De Repub. nihil noui scio, nisi quod  
 scribitur ex Noriberga, decem naues in mari Tyr-  
 rheno à Gallo captare: & magnam esse poten-  
 tiam classis Turcicæ in mari, & periculum esse Ita-  
 lie & Hispaniæ. Impendet finis regnorum. Oremus  
 Deum, ut seruet Ecclesiæ reliquias. Bene ualete, die  
 24 Decembris. Torgæ, Anno 1553.

Salutem opto reuerēter uiro optimo D. Docto-  
 ri Hieronymo, & toti eius ecclesiæ domesticæ, &  
 D. Matthiæ, & uobis omnibus. Iterum ualete.

Clarissimo uiro, D. Christophoro Pan-  
 nonio, amico suo charissimo,

S. D.

Cordatum uenerandum senem tibi commenda-  
 ueram, sed Deus iter eius ad uos impediuit. qui si  
 istuc uenisset, & uidisset exortum ex causa non ma-

t 2 ximæ

xima tantum disfidium inter duos professores do-  
 ctrinæ coelestis, profecto magno in dolore fuisse.  
 DOleo & ipse diuelli nostra agmina, & uolunta-  
 tes hominum à doctrina coelesti alienari, propter  
 non necessarias contentiones. Hortatus sum Muscu-  
 lum, ut aut omittat propagationem sue opinio-  
 nis, quam video displicere multis bonis et doctis ui-  
 ris: aut certè agat lenius. Quid opus est eum infer-  
 re bellum omnibus omnium nostrarum Ecclesiastū  
 doctoribus, & anteferre illis idolorū cultores: pro-  
 pterea quod dicunt, temperantiā esse necessariam,  
 & ieunium ceremoniale non esse necessarium in e-  
 diam certi temporis bidui aut tridui, ut loquitur?  
 Quæso ut tu quoq; ei sis hortator, ut communem  
 cōcordiam tueatur. Mitto tibi pagellas, quarum le-  
 ctionem tibi non ingratam fore arbitrabar. Bene  
 uale, & rescribe. 1546.

Venerando viro, D. N. N. Diacono Ec-  
 clesiæ Dei in urbe Stendalia,  
 amico suo,

S. D. Reuerendus dominus pastor Ecclesie no-  
 stræ, doctor Ioannes Bugenhagius cupit te in Po-  
 meraniam, in aulam episcopi Caminensis mittere, ut  
 ibi non solum cōcionatoris munere fungaris: sed etiam  
 usui sis in Ecclesiasticis controversijs audi-  
 dis: meq; iussit ad te scribere, ac explorare tuam no-  
 luntatem.